

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

unà mittes & precium indicabis. Benè vale. 22. Novembris, Anno 1583.
Davidem Razium optarim adjunctas literas Menzingam statim perferre.


David Chytræus.

LXIX.

S. D. Reverende & clarissime vir.

Lamentationem de optimi Principis Palatini Electoris obitu tuam
superiore mense primum accepi. Verè judicia Domini abyssus multa,
quæ nemo justè reprehendit, plenè nemo comprehendit. Etsi
igitur causas consilii divini non perspiciamus: tamen sapienti & justo
DEI judicio hæc administrari non dubitemus. De Timianno nostro,
aliis, à quibus plus commodi expectat, se adjungente, nihil præter expectatio-
nem mihi accidit, cum sæpè jam similia expertus sim, *φύσει δ' ευεργεταῖον ὁ φι-
λοσ. ἄπειν δὲ τὸ χρεὼν τὴν ἰσὴν ἔχει φύσιν.* Apud nos DEI beneficio mediocris adhuc
Ecclesiæ & Scholæ tranquillitas est. Respublica etiam cum principe de ca-
pitibus controversis planè his diebus transegit, ut jam Daniæ regem, com-
mercia, quæ nostris superiore autumno in suis regnis interdixit, restitutum
speremus. Benè & feliciter vale. Nonis Martii, 1584.

David Chytræus.



LXX.

Salutem in Domino.

REtè, meâ opinione, Isocrates ingenuos & honestos homines, à malis in
eo discernit; quod *τῶν μὲν φιλῶν συνθεῖαι ὀλίγη χρεὼ δὲ δίλους, τῶν δὲ τῶν σκε-
δαῶν φίλος ἂν ὁ πάσι μὲν ἐξελείψεται.* Quod igitur tu, Reverende & Clarissime
Domine Doctor, memor amicitiae ejus, quam ante annos 12. Eslingæ in ædi-
bus Dn. D. Jacobi Andreae, tu & frater mecum, nūm certè familiaritate vestra
indigno, contraxistis, nuper ad eam continuandam & confirmandam literas
ad me scripsisti, ex eo certè de animi tui ingenuitate & bonitate judicium fa-
cere possum. Et nisi Ego, in eadem renovanda atque in posterum constanter
solenda, tuæ expectationi responderem, meritò *ὡς τῶν φιλῶν* numero habendus

dus essem. Quare rogo, ut in me amando pergas, vicissim à me officia amici
 fidi & constantis expectabis. Faxit DEUS, ut ex nostrorum animorum con-
 sensione fructus aliquis ad Ecclesiam Christi redeat, & nos semina hæc ami-
 citiæ ad Academiam cœlestem transferamus. Dissipationem Scholæ Heidel-
 bergensis, non absque sensu acerbissimi doloris cognovi, quæ ipsi imminet, &
 ut metuo, certa futura est, ex innovatione illa Casimiriana. Nec minus me
 afficiunt bellici motus, qui ad amœnissimum Rhœni tractum, cum maximo
 totius Germaniæ discrimine moti sunt. Videtur enim Sathanas duobus
 agminibus Ecclesiam Christi, subdolè Calvinianis, apertè Pontificiis, oppu-
 gnare. Utramque pestem DEUS clementer à testis & septis nostrarum Ec-
 clesiarum Scholarumque depellat, atque Sathanam propediem sub pedibus
 nostris conculcet. Academiam vestram post turbas Sturmianas, optata quie-
 te & pace deusdò frui, ex animo lætor: & Filio Hominis ad dexteram Patris
 sedenti gratias ago, quòd tamen hinc inde aliquos cœtus rectè sentientium &
 rectè institui cupientium servat. Quis verò nostræ Scholæ status sit, melius M.
 Joannes Schallesius, qui integrum annum eum inspexit, referre poterit, quam
 Ego, variis nunc negotiis distractus narrare possim. Bene vale in Christo JESU,
 Domine, amice & frater honorande. Dabam 13. April. Anno 84. Wittenbergæ.

T. p. frater in DOMINO

Polycarpus Leiser, D.

LXXI

Salutem à Filio DEI: Reverende & clarissime Vir,
 Comptater honorande.

Doleo toto pectore, statum Academiæ vestræ in dies fieri deteriorem, & DE-
 DUM oro, ut vestri misereatur. Cumq; nunc remotus sis ab inspectione domus
 Sapientiæ, non dubito, quin brevi ex Academia quoq; ejiciaris. Vigilandum itaq;
 nobis est, ut quantum fieri potest, vobis rursus de functionibus prospiciamus. Re-
 spondit mihi D. D. Selneccerus, se in prox. Synodo Dresdensi velle pro te interce-
 dere, ut honestum aliquem locum in Electoratu Saxoniz habere possis. Nec du-
 bito, quin serio causam tuam acturus sit. Quamprimum aliquid certi cognovero,
 faciam, ut scias. Voitus noster meditatur abitum & aliorum cogitat; Sed quid
 Elector facturum sit, incertum est. Si successerit, spero, te Jenæ posse invenire
 locum. Qua in re ego officio meo non defuturus sum. Ut Lipsiam voceris, fieri
 vix poterit, cum nullus locus ibi vacet. Jenensis conditio non aspernanda est, fal-
 tem